

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XXIII. Laus filii.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

disti; ne, quæso, nimium mihi, dilectissime, parcas. Præ amore mori debeo, alio non poteris, Domine, me compescere modo: Da mihi, Domine, vel a me aufer quodcumque volueris: hanc unam mihi concede voluntatem ut ex amore in amore moriar. Amen.

XXII. LAUS CÆLESTIS PATRIS.

BENE sit mihi! Te, Deus, laudo propter omnem tuam nobilem bonitatem, qua tu me ad tuum sanctum famulatum elegisti. Mentem meam sanctifica, quatenus omnia tua dona intima in fervore suscipiam, tecumque in gaudio semper persistam.

XXIII. LAUS FILII.

BENE sit mihi! Tibi gratias ago, Dei imperialis Fili, majoresque semper gratias agam, quod me in mundo ex mundo suscepisti. Tua sacra pœna, mea est, quam pro me passus es. Quæcumque et ego passa sum, tibi in vicem reddere volo, quantumlibet inæqualia sint; ex hoc tamen libera mea fit anima. Conserva me in tuo obsequio, quo in æternum lauderis. Jesu, mi dilectissime, vincula mea solve, ut possim juxta te remanere.

XXIV. DE FLUENTI AMORE.

BENE sit mihi! Gratias tibi ago, Sancte Spiritus; hæc est enim fides mea te unam esse beatissimæ Trinitatis personam. Tuus exundans fons amoris omnem cordis mei evertit molestiam, utpote suaviter ex beatissima exiens Trinitate. Te oro, Domine, Sancte Spiritus, ut me ab omni malignitate malorum spirituum per tuum divinum amorem sic præserves, ut quidquid in me quæsierint, minime reperiant.